



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1644. usque ad annum 1651

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1779

VD18 90119177

§. 59. Pontificia indignatio in Barberinos Cardinales.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67359)

§. LIX.

Sæc. XVII.
A. C. 1645.*Pontificis indignatio in Barberinos
Cardinales.*

Minus tranquilla Pontificatus sui au-
spicia habebat Innocentius X. quamvis enim Odoardo Parmensi Duci plene reconciliatus esset, nihilominus postquam Gaufridus Marchio in Aula Parmensi Administer Christophorum Giardam Castri Episcopum Sicariorum manu trucidari jusserat, Pontifex justa indignatione commotus, Castrum tot diffidorum fomitem in tanti sceleris poenam evertere statuit, sacrilegumque parricidam anathemate perculit. Obstitierant quidem ductoribus Tassono Estensi & Gaufrido Parmenses, quos tamen Aloysius Matthæius post certamen utrinque sat cruentum fudit, fugavitque: Accepta hac clade Odoardus Pontificem placaturus, Gaufridum nuperæ cædis, pluriumque criminum reum capite plecti jussit: nec tamen propterea evanuit Pontificis consilium de funditus evertenda urbe, quam, si superesset, iterati belli argumentum fore prospexerat: Igitur Ducis creditoribus satisfacere pollicitus, per Julium Spinolam Castram solo æquari, atque Episcopali Sede ad Aquæpendentis ur-

Hist. Eccles. Tom. LXI. N bem

*Bruffon. hist.
d'Ital. l. 17.**pag. 440.**Nani Hist. 1**Ven. l. 2.**t. 2. p. 65.**Larrey hist.**du Louis**XIV.*

Sæc. XVII. bem translata in locis, ubi erant Ec-
A. C. 1645. clesiae & cæmeteria parvas cruces in-
 figi iussit, erecta in medio urbis foro
 columna, cui inscriptum: *Hic olim e-
 rat Castrum.* Compositis hisce dissidiis
 domesticæ oriebantur turbæ; cum e-
 nim Panciollus Cardinalis, aliique
 Principes crebra accusationum capita
 adversus tres Fratres Barberinos, eo-
 rumque ditionis Pontificiæ administra-
 tionem proferrent, Innocentius Papa
 acerrimus justitiæ Vindex illos in jus
 vocari iussit, ut præteriti ministerii,
 necnon administrati ærarii rationem
 redderent: Jamjam in eos res erat, ut An-
 tonium Barberinum Cardinalem, & Thad-
 dæum ejus Fratrem Papa comprehendi
 juberet: Igitur Barberini, ut immi-
 nentem effugerent tempestatem, Hi-
 spani Regis patrociniū implorabant,
 incassum tamen, nam Magnus Etru-
 riæ Dux sese eis valide opposuerat:
 Nil ergo illis reliquum erat, nisi ut in
 Galliarum Regis tutelam recipi efflagi-
 tarent: noverant tamen Mazarinum
 Cardinalem, qui pro summo imperio
 res Gallicas moderabatur, familiæ
 Barberinæ infensum esse, ejusque jussu
 Antonium Barberinum Galliarum Re-
 gis insignia a suo Palatio avellere nu-
 per coactum fuisse, ac Gallici protectoris
 prærogativa exutum. Nihilominus tuti
 asyli

aſyli ſpem Barberinis inſpirabat acrior Sæc. XVII.
 Mazarini indignatio in ipſum Pontificem; A. C. 1645.
 hunc enim, quem ipſe a Pontificatu
 excluſerat, electum tamen fuiſſe, ini-
 quo ferebat animo: inſuper gravio-
 rem adhuc offenſionem in Papam concepe-
 rat Mazarinus, dum inſuper habitis
 Uladislai Poloniæ Regis, necnon ipſius
 etiam Annæ Galliarum Reginæ preci-
 bus, Fratrem ſuum Michaelem Maza-
 rinum Ord. FF. Prædicatorum Archi-
 epiſcopum Aquæ-Sextiæ nuper a Pur-
 pura romana excluſum fuiſſe comper-
 erat: Hunc igitur contemptum vindi-
 candi animo Mazarinus mutuato Regis
 nomine petiit, ut Pontifex Romæ Lu-
 ſitanum Oratorem admitteret, & no-
 minandi jus ad beneficia Eccleſiaſtica
 in Catalonia, aliisque locis bello partis
 Galliarum Regi cederet, & Baupium
 ex Romano carcere in Gallias captivum
 mitteret, ut ibi cauſam diceret, cur
 Mazarini vitæ inſidias ſtruxiſſet. Nec
 his contentus Cardinalis, omnes fer-
 me Purpuratos, utpote Hispanis ad-
 dictos, ipſumque Pontificem, ejusque
 Miniſtros Gallis eſſe ſuſpectos inſimu-
 labat, proin in comitiis Monafterien-
 ſibus ſedulo evitandos ajebat.